



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus LVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

Adeste igitur invitati! & si non movet vos humanitas invitantis, moveat necessitas vestra. Vestrum bonum agitur, si paretis, vestrum malum vertitur, si recusatis. Nihil illi mihi respondent, O auditores vos quid quæso respondere par sit decernite, aut si alii stultescunt, alieno Exemplo sapite. Ne quæso tempus invitationis vestræ, tempus salutis, vanis mundi occupationibus, insumite. Pereant opes, pereant voluptates tandem periture dum vos perdere festinant &c.

MODUS LVIII.

A B adjunctis. Quis, quod, ubi, quibus auxiliis Cur, Quomodo, Quando, Dupliciter in illis proceditur. 1. Aliquot adjuncta examinando, ut si in festo Conceptionis Deiparæ Virginis proponeres, dicturum te! quid sit sine originali labe concipi. 2. Quomodo id fieri cum D. Virgine Maria potuerit. 3. Quibus rationibus ad id credendum adduci possimus. 2. unum aliquot adjunctum subdividendo E. g. in annuntiatione B. Virginis Mariæ, ad illa verba, *Gratia plena*, posses proponere, te acturum: quali gratia D. Virgo plena, scilicet, gratia gratis data, gratia gratum faciente, gratia ex opere operantis, quæ singula explicata, justam constituerent orationem. Similiter 3. Epiphaniæ. de Centurione, Domine non sum dignus, quando paucis verbis multa impetrantur. 1. Ubi magna necessitas, *vinum non habent*. 2. Ubi magna fides, ut hodie 3. Ubi magna charitas, *Domine ecce quem amas, infirmatur Joan. II.* Exemplum primi

primi modi habetis sub modo sequenti, cum alio
præcepto Secundi modi sit

P R A X I S.

Dominica X. à Pentecost.

*Publicanus longe stans, noluit, nec oculos, ad cælum
levare, sed percutiens pectus suum dicens. Deus
propitiuss esto mihi peccatori,
Luc. 18.*

Accessus & Propositio. Bonum Dominum ha-
bemus. dicebat B. Episcopus Turonensis, bo-
num Dominum nos habere, continuò gloriari par
est, in hodierno præsertim Exemplo, in quo publi-
cano tam facile, tam ingentes culpas, donari viden-
mus. Eheu! inferni titio, mortis præda, æternitatis
infelicis miserandus debitor, ad pauculas voces,
ad exiguam pectoris tunctionem, omnibus culpis
absolutus abit justificatus in domum suam! O do-
lorem felicem! O dolorem omni gaudio dignum!
utinam is nobis contingat! atq; ut contingat coo-
perari creatori nostro studeamus, ideoque ab E-
xemplo publicani, qualis debeat esse dolor de pec-
catis, qui verus est discamus.

Confirmatio, à diviso adjuncto, qualis?

Primum igitur, dolor publicani est dolor humi-
lis, stat enim à longè, & non vult oculos levare ad
cælum. Benè, longe à Deo, quia hic est status mise-
ri peccatoris. De quo Psal. 15. *Longè à peccatoribus
salus.* & Psalm. 5, *non Deus volens iniquitatem tu es.
Neq; habitabit juxta te malignus, neq; permanebunt
injusti*

iniusti ante oculos tuos. Infernus est locus peccato-
 ris, Cœlum sedes Dei. Magnum inter hæc, chaos
 firmatum est. teste D. Luca cap. 16. ut proinde,
 qui se peccato addixit, noscat, quantum à Cœlo &
 Deo distet, quantum & à bono Patre, à quo malus
 prodigusque salutis filius, profectus est in regio-
 nem longinquam. Sed frons meretricis, facta est
 multis, totoque defluxit cultu verecundia. Videat
 non rarò monstra, nullis oculis digna, qui pœnite-
 re se de peccatis dicant, & in ipsa pœnitentia, col-
 lo, audaciaque erecta, nihil minus quam pœniten-
 tis habitum proferant; Imparati, inordinati, lævis-
 simo dolore, vix ulla præparatione, tribunalia sa-
 cra adeant, & cum scelera sua decussatim, prope-
 ranter, ac penè inimicè coram sacerdote demur-
 muraverint, nullà seria præmissa præparatione,
 sacra altaria invadant, eucharistiam frequententi
 oreque adhuc libidines, & contumelias spumante,
 Deo sub tegmine panis velato, appropinquent. O
 incredibilem audaciam! O turpissimam arrogan-
 tiam! nec sui, nec Dei memorem. *Sanctus sanctis* in-
 clamabat olim in sacris eucharisticis Diaconus.
 Clamat autem & nunc Paulus I. ad Corinth.
 II. *Qui indigne manducat iudicium sibi man-
 ducat.* Siste Peccator. Quo tam facile ruis?
 Sinum DEI petis! nec pedibus dignus. Dex-
 tram aut sinistram DEI affectas? Nec ter-
 ram meritis. A longe cum publicano sub-
 siste, indignitatem tuam expende, moram
 pœnitentiæ, & præparationi concede, & tunc
 iusti-

justificandum te sperato, cum te vilissimum coram Deo, ut es, agnoveris. Unde & à cælo oculos tuos averte, nisi fulmen illud conspicerere cupias, quo petiit avaros D. Chrysol. *Quid aspicias in cælum, ubi nihil habes depositum?* at, & plura fulmina ruent, quæ D. Chrysol. Ser. 122, super illa verba de epulone *Elevans oculos cum esset in tormentis* notavit, atque his elocutus. *Serò dives sursum oculos levat, quos semper depressit in terram. Dives quo oculos levat? ipsi sunt accusatores tui. Quo oculos levat? Ipsi non placanti iudicem, sed inflammant; non reportant veniam, sed reatum; & exigunt pœnarum cumulum, non solamen. Quo oculos levat? Ibi est Lazarus, ibi est impietatis tuæ proditor, testis criminis, crudelitatis assertor.* Hæc enim verò humilis publicanus apud se cogitabat, hæc dolor cogitat, hæc dolor cogitat, qui verus est dolor, ut exaltandum coram Deo hominem, salutariter humiliet.


Alterum, quod dolor, publicani habet, est, quod sit dolor, cum detestatione vera peccatorum conjunctus; quod significat & oculorum dejectio, quæ solet assumi cum aliquid detestamur; & pectoris dolorosa tussio, de qua D. Aug. *Pectus percutiebat, pœnas à se exigebat.* Tundunt tamen multi pectus, sed non à se pœnas exigunt. Anaxarchus Philolophus, cum in eum Tyrannus sæviret *Tunde*, ait, *saccum Anaxarchi, Anaxarchum non contundes*, in Apoph. Hoc tota vita multi clamant. *Tundit pectus avarus, sed avaritiam non deserit,*
à se

à se pœnas non exigit, avaritiam non tingit, sed faccum quatit. Tundit libidinosus pectus, sed continuo sordibus inhæret, pœnas à se non exigit, libidinem non tangit, faccum quatit, non se. Te pete avarare, te libidinosè, te superbe, à te pœnas exige, te tange, ut scelera excutias, non solides, D. Aug. id ipsum de disciplina Christiana suadente. *Erubescamus saltem, confiteamur, & pectora tundamus, non ut super peccata nostra pavimentum solidemus nam qui tundit pectus, & non corrigit, solidat peccata, non tollit.* 1. Reg. 24. cum Sauli, David Chlamydis oram abscidisset, id ipsum tanquam crimen in se redarguens post hæc ait scriptura, *percussit cor suum David, eò quod abscidisset oram chlamydis.* En notam, en punctum, quo debet tundere manus pœnitentis, non vestem, non corpus, non faccum, sed cor percussit David. Per pectus, ad cor plaga penetravit, & peccatum sede sua excussit. Hoc egit & felix publicanus, & hoc agere debet, quisquis de peccatis verè dolet.

Tertium quod dolor publicani habet, est, quod sit sincera hominis *conversio ad Deum.* Patet id ex verbis, quæ supplex protulit. *Deus propitius esto mihi peccatori.* Videamus ut nihil respiciat, nisi se & Deum, multum diversus ab illis, de quibus Osæ 1. *Non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus super triticum & vinum ruminabant.* O quot quotidie ululatus, quot gemitus, quot planctus. Hic mortem liberorum, ille domestica: possessiones alius, in pœnam peccatis ereptas: prædia alius incensa plorat, hi ululant super *damna temporalia*

ralia, fletu inutitili, nec clamant ad Deum in cordi-
 bus suis clamore publicani. *Deus propitius esto mi-
 hi peccatori.* Dicebat Pambo Abbas, in V. V. P. P.
Ego & Deus in mundo. Vox religiosissima, & fidu-
 ciæ plena. Urgent tentationes & adversa, ne timeas
 dic. *Ego & Deus, in mundo.* Instat orationis tem-
 pus, ne evageris, sed dic. *Ego & Deus in mundo.*
 Singulariter tamen qui verè de peccatis dolet, hoc
 cogitet. *Ego & Deus in mundo.* Infandum est de-
 meruisse cælum, horrendum meruisse infernum
 leviora tamen hæc sunt, sincerè pænitenti: hoc uni-
 cè summè dolet quod Deum offenderit, & tanquam
 res aliæ non essent in mundo, hæc duo, se offenden-
 tem, & Deum offensum cogitat, intimeque inge-
 minat. *Deus, propitius esto mihi peccatori.* O quàm
 altè ascendit, & quàm demissè hic mens publicani
 descendit. Sustulit se supra se, & vidit Deum, de-
 scendit ad se, & vidit se, sed qualem? qualis appa-
 rere potuit in comparatione summæ Majestatis, &
 humanæ vilitatis, summæ sanctitatis, & abominan-
 dæ turpitudinis, summæ dignitatis, & miserandi ni-
 hili, summæ justitiæ, & potestatis, & peccaminosi
 demeriti, atque ideò exclamavit. *Deus mihi summa
 sanctitas, scelerato summa dignitas, vilissimo: sum-
 ma bonitas, propitia esto peccatori.* *Abyssus abys-
 sum invocat, in voce cataractarum tuarum dixit.*
 Psalm. 41. Audis Deum? noveris abyssum, summæ
 misericordiæ, audis peccatorem noveris abyssum
 summæ miseræ, abyssus igitur abyssum invocat,
 cum misericordiam miseria implorat: sed si verè
 implorat, ita implorare debet, ut Deum solum co-
 gitet,

gitet, Deum offensum doleat. Tum enim, verus est dolor & perfecta conversio, tunc homo, fit ille unicus, qualis hodie Publicanus, antehac David Psal: 24 *Quia unicus & pauper sum ego.* Cui adscribens Cassiodor: *Quia unicus plus amatur, quia pauper plus doletur;* Unde, & cum adulteram, Christus absoluturus misericorditer esset, non prius id gratiæ præstitit, quam cum abiissent Pharisæi Ioan: 8. Et tunc relictæ sunt duo. *Misera & misericordia,* inquit D. Aug: Tract: 32. In Ioannem.



MODVS LIX.

Quando adagium, Proverbium, aut Paradoxon aliquod assumitur, cuius sensus explicetur atq; probetur.

P R A X I S.

In festo Trium Regum.

Quod in Polonia, usitato proverbio, Largum vesper nominatur

Accessus & Propositio. *Largum vesper, hodie occinimus, & largum vesper, mutuò gratulamur. Videamus cui, & quomodo, dies hodierna ferat largum vesper.*

Confirmatio, ab explicato Proverbio, per adjunctum, cui & quomodo.

Largum vesper, à tribus magis hodie Christo. Quid ni? Triplex munus assignat Jurisprudentia & Theologia, à lingua, à manu, ab obsequio. *Omnis hoc genere suam libertatem in Christum,*
tres